

IV.

Eine Chronik des Fraterherrenhauses in Münster über die Jahre 1650—1672.

Veröffentlicht von
P. Schmitz-Kallenberg.

Das Archiv des münsterischen Fraterherrenhauses, welches jetzt im Priesterseminar aufbewahrt wird, ist bis auf den heutigen Tag für wissenschaftliche Zwecke so gut wie gar nicht ausgebaut worden.¹⁾ Und doch, wie ich bei einer (allerdings nur flüchtigen) Durchsicht feststellen konnte, die mir der Herr Subregens des Seminars bereitwilligst gestattete, enthält es reichhaltiges und wertvolles Material. Die Urkunden gehen bis in das Jahr 1318 zurück; aus dem 14. Jahrhundert sind etwa 10 Originale vorhanden, mit dem 15. Jahrhundert, das mit etwa 150 Originalen vertreten ist, schwint die Zahl stark an. Immerhin sind mindestens 300 Urkunden auf Pergament vorhanden, deren Veröffentlichung zweifellos, abgesehen von dem Gewinne für die eigentliche Klostergeschichte, unser Wissen über die Vergangenheit Münsters, im besondern über die mittelalterliche Topographie und Verfassung der Stadt bedeutend fördern würde.

Unter den nicht sehr umfangreichen Altenbeständen aus dem ehemaligen Fraterherrenhause fand ich auch chronikalische Aufzeichnungen, die ich an dieser Stelle mitteilen möchte.

¹⁾ Bei der Bearbeitung meines „Monasticon Westfaliae“, Münster 1909, war mir die Erhaltung des Archivs noch nicht bekannt. Bisher hat nur A. Löffler zu seinem Aufsatz über „Heinrich von Ahaus und die Brüder vom gemeinsamen Leben in Deutschland“ im Hist. Jahrbuch, Bd. 30 (1909) S. 762 ff. einige Urkunden aus dem Archive benutzt. Die Handschriften des Priesterseminars hat Oberbibliothekar A. Bömer (jetzt in Breslau) für die deutsche Kommission der Kgl. Preußischen Akademie der Wissenschaften, die Inkunabeln die vom preußischen Kultusminister eingesetzte Inkunabelkommission verzeichnet.

Es handelt sich um ein Papierheft in schmal Folio; die gleichzeitige Paginierung beginnt auf der ersten Seite mit 33 und geht bis 69; sieben unbeschriebene¹⁾ Blätter sind nicht paginiert. Hieraus ergibt sich, daß das jetzt für sich mit einem Pappumschlag verlehene Heft ursprünglich einen Bestandteil eines umfangreicherem Bandes gebildet hat. Ich möchte annehmen, daß das Heft früher zu einem Rechnungsregister gehört hat, einmal weil die noch vorhandenen Rechnungsregister des Fraterhauses das gleiche Format haben, und dann besonders deshalb, weil der Verfasser der Aufzeichnungen sehr wahrscheinlich der damalige Rechnungsführer, der Prokurator, gewesen ist.²⁾

Die Aufzeichnungen sind von einer Hand niedergeschrieben worden, und zwar zunächst in einem Zuge bis zu den Mitteilungen über das Jahr 1669 ausschließlich. Dieselbe Hand hat dann noch die Nachträge zu den Jahren 1669, 1670, 1671 und 1672 gemacht, jedoch zu verschiedenen Zeiten, wie aus dem jeweils etwas veränderten Schriftcharakter zu entnehmen ist. Ist hiernach die Chronik in ihrem Hauptteil kurz vor 1670 abgefaßt worden, so hat der Autor in den späteren Jahren das bereits fertige Manuskript doch noch mehrmals durchkorrigiert und mit Zusätzen, stilistischen Änderungen usw. versehen, wobei ihm an einer Stelle, unten S. 354, ein schwerer chronologischer Irrtum unterläuft, indem er den Domdechanten Bernhard von Mallindrodt im Jahre 1667 Juni 25 (statt 1657 Juli 25) und ebenso den Stadtshndikus Drachter am 10. August 1667 (statt 1657) gesangen werden läßt.

Der Wert der Chronik beruht hauptsächlich darin, daß sie interessante Schlaglichter wirft auf das Verhältnis des Fraterherrenhauses zu dem Bischofe Christoph Bernhard von Galen. Wir erkennen aus den Mitteilungen des Chro-

¹⁾ Nur auf der vorletzten Seite finden sich noch Eintragungen, von derselben Hand, die auch S. 33—69 geschrieben hat, und zwar a) betr. Kirchengründungen der matrona Monasteriensis Remmod, vergl. dazu Erhard, Cod. dipl. Nr. 103b; b) 6 Hexameter über die Schenkung von 105 Dienstleuten an das Stift Münster durch die Grafen Gottfried und Otto von Cappenberg, vergl. a. a. D. Nr. 199 u. 200, mit der Überschrift „Obsequium Capenbergensium“.

²⁾ Wenigstens spricht für die Autorschaft der genaue Nachweis der Einnahmen und Ausgabe für den Klosterbau; man könnte vielleicht auch an den damaligen Pater-Rektor Johann Gassel (1655—1675) denken; vergl. diese Zeitschrift 6 S. 100.

nisten, daß dieses sehr gespannt gewesen sein muß. Alpen, Christoph Bernhards Generalvikar und Biograph, sagt davon nichts; vor allem übergeht er auch mit Stillschweigen die den Fraterherren offenbar so schwer gefallene Transpruchnahme ihres Klosters für die Zwecke der fürstlichen Regierung. Weiterhin erfahren wir dann auch einige bisher unbekannte Einzelheiten über den Verlauf der zweimaligen Belagerung Münsters durch den Bischof, über die Anlage der Zitadelle usw., kurz die Chronik ist als ein wichtiger Beitrag zur Geschichte Christoph Bernhards und seiner Zeit es wert, in vollem Wortlaut veröffentlich zu werden, und das um so mehr, weil gerade gegenwärtig die historische Forschung diesem auf den verschiedensten Gebieten seiner Tätigkeit, als Bischof und Fürst, als Kriegsheld und Politiker gleich hervorragenden Manne wieder ein erhöhtes Interesse entgegenbringt.

**Compendiosa praesentis nobis incumbentis tempestatis
deductio pro informatione successorum.**

Divinae dispositionis circa creaturas, potissimum rationis capaces, humano generi ac ingenio incomprehensibilem observamus ac suspicimus ordinationem, ut etiam infirmioris iudicii hominum quidam in admirare rapiantur, quasi actuum nostrorum seu bonorum seu malorum reminisci minime, sed oblivious potius videatur moderator omnium Deus. Dum scilicet probi restrictius, improbi vero passim indulgentius habentur: alii humiliantur, exaltantur alii, non aliter ac si reiicienda sit aequitatis ratio iuxta illud poetae: Ludit in humanis divina potentia rebus¹⁾. Unde non incongrue per incumbentem universae patriae nostrae praesentem tempestatem ab aliquibus moveri posset haec quaestio: utrum quidam homines iniquitati temporum aut, quod idem reciproce, specialis temporum iniquitas certis sit reservata hominibus? aut clarior, utrum seu clementia seu austeritas superiorum certis temporibus certisve hominibus aut in genere aut in specie sive ad probationem sive ad correptionem a Deo [S. 34] reservata sit? et quidem non abs re, si parentum praedecessorumque

¹⁾ Ovid. Ex Ponto IV, 3, 49.

nostrorum conditionem cum praesentium turbarum statu contulerimus. Haeresi enim gliscente ac diversorum hominum animos occupante inter ecclesiasticum et civilem ordines maior animorum conformitas ac confidentia observata fuit, quam experiamur modo, dum universo religionis errore proscripto omnibusque ad verum ovile reductis unius eiusdemque benignissimae matris gremio per conformitatem cultus divini fovemur; et tamen tanta animorum inter domesticos fidei serpit difformitas, ut evidenti periculo evertendae religionis, perdendae regionis, maximo pusillorum cum scandalo plurimarumque animarum aeterno praecipitio, unius Romanae ecclesiae filii adeo inter se colliduntur, ut alter alterius et fortunae et corporis bonis haud aliter inhiet, quam si homo homini, frater fratri lupus creatus sit ac natus. Nisi forte, cum de sorte simus ac sanguine proavorum nostrorum, comestae ab illis uvae nobis dentes stupescere faciant¹⁾ et propter eorum tranquillae vitae prosperitatem, sub clementi scilicet suorum temporum regimine, nos per inquieta indomitaque paucorum idiotarum ingenia ad Lydium adversitatis lapidem probandi ac exercendi reservemur.

[§.35] Cum autem Altissimi, utpote moderatoris omnium, viae investigabiles eiusdemque iudicia inscrutabilia²⁾, admiranda sunt haec potius quam ab ullo mortalium discutienda aut decidenda, unde cum regio vate ruminandus ps. 72: „Quam bonus, Israel, Deus his, qui recto sunt corde! Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns“³⁾. Admiratus est David prosperitatem malignantium ac a contrario miserias innocentium; at sicut illorum extrema observavit funesta, ita horum finem in Deo fundatum ac probatum notavit, docere volens cum apostolo, omnibus pie viventibus persecutionem ac tribulationem patienter sustinendam omnemque spem ac confidentiam in Deum reiiciendam, qui eripit sustinentes se, cum contra quorumcunque adversantium impetus funestissimos clypeus sit

¹⁾ Jerem. 31, 29: Patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt.

²⁾ Ad Rom. XI v. 33: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius,

³⁾ Ps. 72 v. 1–3.

robustissimus ac protector potentissimus omnium sperantium in se.¹⁾

Sensibiliter se id ipsum compendio annorum expertos fatentur ac in eodem Domino gloriantur Monasteriensis et civitatis et dioecesis incolae universi cuiusvis conditionis, sexus aut aetatis, sive religiosi illi sint sive ecclesiastici, [S. 36] nobiles aequae ac ignobiles, sed non sine praeviis portentis ac manifestis impendentium malorum prodigiis.

Anno namque Christi 1650 feria 6. Parasceves, quae in 15. Aprilis incidebat, sub ipsa sanctissima Salvatoris passi commemoratione circiter nonam matutinam in maiore illa turri ad effluentem e civitate Alpham sita, habito neglectius igne, periculosissimum, ob asservatum illic copioso numero pulverem nitratum, exoritur incendium, sed Deo propitio, sedulitate maxime religiosorum, suppressum est. Quod si pulvis dictus, utpote patentibus vasis illic repositus, ignem concepisset, dimidium pene civitatis miserabili mortalium ac aedium strage eversum fuisset. Misericordiae igitur ac protectioni divinae ascribendum, quod e tanto adeoque praesentissimo ac vix evitabili periculo homines cum suis miraculose quodammodo sint erepti ac conservati. Anno eodem mortuus Ferdinandus, electus Christophorus Bernardus protestante et contradicente decano.²⁾

Anno deinde 1652 ultima Junii (30. Juni) circiter septimam vespertinam ad pomeria civitatis in vicinia aedium, quas ordinarius minister iustitiae incolit, turris pulvere tormentario farta impetu fulgoris accenditur et notabili hominum aequae ac aedium strage ex fundamento disiicitur, et ecce tanta cum vehementia imber emissus coelo, ut omne incendi periculum praeverterit clementissimus Deus, infallibiliter, [S. 37] quod bini iam allegati inopinati casus impendens civitati malum portenderint, ut eventus subsequentium annorum docuit.³⁾ Eo tempore namque electionis ventilabatur causa Romae et Viennae etc.

¹⁾ Timoth. II 3, 12: omnes, qui pie volunt vivere . . ., persecutionem patientur. Ps. 17, 31: protector est omnium sperantium in se.

²⁾ Kurfürst Ferdinand von Köln, zugleich Bischof von Münster, starb am 13. September 1650; die Wahl Christoph Bernhards erfolgte am 14. November 1650. Über die Einzelheiten bei der Wahl ausführlich Franz Heers, Die Wahl Chr. B. v. Galen, Münst. Diss. 1908.

³⁾ Über die beiden Brände 1650 und 1652 auch Alpen I S. 73 ff.

Unde anno 1654 7. Octobris ad intercipiendum reverendissimum dominum cathedralis ecclesiae decanum dominum Bernardum a Mallinckrodt armati in curiam ipsius irruunt milites, sed et industria propria et cura civium in tutum receptus evasit;¹⁾ ab hoc civium motu subsequentes tragedias quidam dependere volunt, nam exinde insidiae civitati struebantur. Subsequente etenim anno 1655 ipso divae Agathae, in 5. Februarii incidente, omnibus omnia tua censemibus nilque mali timentibus, insolens ex aquilone panditur malum. Collectis namque ex Embolandia copiis per insidias erat obruenda civitas, quod hoc stratagemate coeptum, sed nullatenus peractum est. Congregabantur inadvertenter in civitate quidam armatorum equitum pridie divae Agathae, qui directore Theodoro Hermanno a Nagel, quaestore Strombergensi, altero die reserationi portarum ad divam Virginem advigilarent, foris et equitatu et peditatu ad irrumpendum excubantibus, sed tum Deo propitio tum industria civium dissipati sunt malevolorum conatus, quo innocentis sanguinis effusioni parceretur²⁾ atque in memoriam ac honorem divae Agathae ex antiphona (?) super...³⁾ hoc desumptum est chronographicum:

Mens sancta, spontanea, honor Deo et tibi Agatha,
patriae liberatio.

[S. 38] Ex hoc inopinato ausu consternatos cives diffidentia incessit et recurrente anniversario occlusisque officinis feriatum est cum frequentiore ad tempora concursu Deo divisque tutelaribus pro sui suorumque conservatione piis ac sedulis precibus grates deferentes.

Anno deinde 1656 circiter declinantem aestatem diversis per civitatem locis contagiosa hinc inde irrupit lues;⁴⁾ rapiebantur praecipiti letho mortales, trepidatio invasit incolas omnes, a viginti enim annis a simili malo immunes fuerant. Placandi igitur supremi Numinis gratia ad tempora, sacram exemplogesin, ipsum viaticum ac quotidianas preces

¹⁾ Vergl. Tüding, Geschichte des Stifts Münster unter Christoph Bernard von Galen, S. 19 ff.

²⁾ ebd. S. 23.

³⁾ unleserlich.

⁴⁾ Über diese Pest ist anscheinend bisher nichts bekannt; vergl. Hellinghaus im Programm des Realgymnasiums in Münster 1898; die letzte Pestepidemie in Münster 1666—1667,

certatim confugiebant. Vinci ac vinciri se passus est omnipotens ac misericordissimus Dominus, ut quanta cum perniciitate minas ac poenas incutere cooperat, tanta cum celeritate malum suppresserit praesens, averterit impendens, cum tamen satius fuisse incidere in manus Dei quam hominum.

Evenisset hoc pene anno immediate subsequente 1657, nisi denuo speciali supremi Numinis protectione a maligna quorundam intentione praeservata civitas fuisse ac erepta¹⁾. Nam ipso divi Bernardi, 20. scilicet Augusti, cincta est obsidione²⁾, contractis praeter militem dioecesanum cum ingenti rusticorum numero undique viribus, submittentibus suas archiepiscopis ac electoribus [S. 39] Moguntino, Trevirensi ac Coloniensi, duce Neoburgico, episcopo Paderbornensi, abbatibus Corbeiensi et Stabulensi, quorum ferocia terribiliter ferro, igne, sulphure, pice, pyrobolis, globis ignitis aliisque tormentorum maiorum frequentium ac mortariorum machinationibus diverberata ac passim incinerata adeoque crudeliter excepta, ut barbaros similia, multo minus maiora attentatuos putarit nemo. Auditu ergo vix posteris credendus, praesentibus visu horrendus, enarratione stupendus adeoque non funestus per obsidionem collegio nostro ad Fontem Salientem evenit casus ac clades tanta, quae sicut praesentibus nobis intolerabilis, successoribus admiranda, ita posteriorati nostrae futura erit onerosa. In universam enim structuram nostram artificio elaboratam nocturnis aequae ac diurnis maiorum tormentorum ictibus continuis, silecum aliorumque enormium lapidum, pyrobolorum, eminentis magnitudinis ac ponderis globorum, quin et materiarum diversarum sulphure, pice caeterisque igniferis furibus illitarum tyrranica crudelitate ac ferocia in templum reliquaque sine exceptione aedes ipsamque primariam structuram ex professo adeo desaevitum est, ut non nisi confratrum omnium interitum, templi eversionem, collegii devastationem, instituti nostri suppressionem ac exterminium directe [S. 40] prudentum intelligentiorumque iudicio et coniectaveris et verius dixeris. Immo vero tanta eaque

¹⁾ Vergl. Tübing S. 45 ff.

²⁾ Daselbe Datum gibt Alpen I S. 326 an.

inaudita saevitia ac furore in nos ac nostra debuchatum est, quasi obsidentes infidelium partes egissent ac ad eliminandam ecclesiam catholicam eiusque ministros supprimendos ac trucidandos omnimode conspirassent, aut etiam ipsi fideles nos ut atheos loco movere ac exterminare decrevisserent. Nam tecta, frontispicia, fumibula, tabulata, cubicula, muri, fenestrae, lecticae et quicquid similium per universam reperiebatur structuram, iteratis tormentorum maiorum ictibus adeo diverberata, luxata ac excussa, ut frequentiorum civium animi sceleris absurditate ac malitia in moerorem ac fletum provocati sint, utque verius dicam ac paucis alia complectar: Facinus tale commissum, quod potius lachrymis diluendum quam calamo depingendum. Et haec omnia peracta sunt sub auspiciis reverendissimi ac celsissimi episcopi ac principis nostri Christophori Bernardi a Galen ex arce Bispinck parochiae Rinckerodensis, cui nonnulli cathedralis ecclesiae praelati huius tragediae sufflaminatores a latere stabant, quorum primarii erant Otto Henricus Schmisinck praepositus, Matthias Schmisinck frater eius thesaurarius, uterque ex Tatenhausen, Jodocus Edmundus a Brabeck decanus Surlanicus ex arce Lehtmate, Wilhelmus a Furstenberg ex satrapia Bilstein, expost praepositus, Goswinus Droste bursarius ex Fisgering, Joannes Hermannus a Palandt cellararius ex arce Hameren. His proximi erant quidam satraparum ac nobilium patriotarum, utpote principis frater Henricus a Galen [Ξ. 41] satrapa in Vechte et post baro in Assen, Joannes Beveren de Twickel in Havichsbeck satrapa in Bevergern, Theodorus Hermannus Nagel, qui supra, ex Itlingen, post satrapa in Stromberg et generalis vigilum praefectus anno 671 creatus.

Metatis ergo castris et necessariis ad iustum obsidionem adeundam collectis decretum est festivo die, quando litanum erat omnipotenti Deo, primitias huius tragediae Marti consecrare ac diabolo. Nam dominica sanctissimae Trinitatis 13., quae fuit 26. Augusti, cum subsequentibus immediate duabus feriis tanta cum ferocia maiorum tormentorum tonitruis in civitatem collimatum est, ut omnia sursum, deorsum movenda nilque suo remanendum loco diceres. Nulli enim aut sacrarum aut profanarum aedium parcitum fuit, ideoque vix unicum templum per universam civitatem intactum evasit. Alibi tecta, alibi fenestrae, e cacumine

turrium ac templorum Salvatoris passi symbola, cruces, alibi divorum statuae, organa, sicut et passim frontispicia ac fumibula aut loco mota ac disiecta aut enormiter mutilata ac laesa.

His et similibus praeclare per integrum triduum gestis, subsequentibus diebus septem paulo remissius actum est, quoad decimus ab hac atrocitate impleretur dies. Effusis namque iam allegatis diebus decem continuis furiis ac viribus omnibus obsessisque constanter sua defendantibus suspensi [§. 42] haerebant obsidentes quamque telam ordirentur, nescii; idque praecipue ob defectum pulveris nitrati, donec concilio primatum decerneretur, obstupescite coeli¹⁾, petendas ab obsessis tridui inducias; petitae quidem, sed generose denegatae.

Recepto autem pulvere ad truculentiora digressi sunt. Nam praeter frequentiora per civitatem ignitis globis excitata hinc inde incendia aedibus sacris ac coenobiis non defuere sua. Incensa namqua tecta templorum ad S. Lambertum ac Martinum, sed industria civium conservata; coenobio ad divam Virginem accensa ac absumpta domus agriculturae; coenobium ad S. Aegidium adeo continuis globis divenatum, ut tecto sit destitutum ideoque virgines pro sui servanda incolumitate crucifixo praevio loco migrarunt ad coenobium Nitzingense divertentes 27. Augusti. Hoc eodem ignitorum globorum periculo defuncta sunt coenobia Nizingense, Ringense, Rhenense, Hoffringense,²⁾ Hospitale inter pontes. Similium globorum immissione 5. Septembris ad portam divae Virginis atrox suscitatur diversarum aedium conflagratione incendium. [§. 43] Et quod certe indolendum, 10. Septembris in praecipiua domum nostram supra ingressum circiter culinae immissus est ingens globus nitrato fartus pulvere, qui penetrans tectum cum tribus tabulatis praecise ante ostium cubiculi patris decidens discussione sua omnes per quadrum ambitus nostri celebres arteque nobiles in momento excussit fenestras, ut ne unica quidem in symbolum artificii reservata sit, quarum restitutio millenis imperialibus minime fieri poterit. Eiusdem pyroboli violentia omnia oclusa per am-

¹⁾ Jerem. 2, 12: Obstupescite caeli super hoc.

²⁾ Über diese verschiedenen Klöster vergl. Schmitz-Kallenberg, Monasticon Westfaliae. Münster 1909, §. 57 ff.

bitum cubiculorum ostia superiorum cubiculorum et ambitus ad bibliothecam asseres loco moti, fenestrae in superiori ambitu versus templum ac bibliothecam in cubiculo patris aut mutilatae aut electae, cistarum superiorum locorum aliae reseratae, inclusa aliis eversa; et hocce modo virus suum in nos effuderunt, ut per frequentiores cuniculorum eversiones, tormentorum explosiones, pyrobororum discussiones, quorum quindecim in nostrum, quantum constat, recidere fundum, totius structurae nostrae compages ex fundamentis ad supremum usque culmen irreparabile passa sit damnum.

[§ 44] Domus posterior horti nostri (quae quandoque destinata fuit versus occidentem pro loco mactandorum pecorum, versus orientem vero aut pro confratrum balneo aut contagiosa infirmitaria, nunc autem ex necessitate applicata braxationi cerevisiae) misere attrita, cuius frontispicium versus orientem tecto globis deiecto cum duobus tabulatis 11. Septembris concidit, mutilatis omnibus, quae inferioribus locis conservari posse putabantur. Ut tamen in hoc miro ac miserabili statu propitium specialiter sua protectione singulari observaremus misericordissimum Deum ac Dominum nostrum, cuius servitio nos mancipavimus, contigit 14. Septembris, ut globus duodecim et ultra pondo pulveris nitrati fartus, ipsus (!) autem ducentorum pondo, perfracto tecto ac fornice in chorum templi iuxta pulpum ad latus septentrionale inciderit, sed misericordiae divinae deferendum, quod fomite extincto caruerit effectu. Caeteroquin omnia illa Appellea opera cum totius ecclesiae eversione ac ornatu infallibiliter periissent.¹⁾

¹⁾ Über die Ausstattung der Kirche der Fraterherren meldet eine andere Aufzeichnung 17. Jhd. in demselben Archiv (in 4°) folgendes: Appellea illa templi nostri opera auctores habent huius civitatis Monasteriensis cives Hermannum ac Ludgerum Ringe germanos fratres, pictores praestantissimos, quorum habitatio fuit in platea Gallinacea seu campo Galli (Honfamp, jetzt Krummertimpen). Tabulas autem primarias quinque confecit Hermannus, quarum media versus navem templi potiora praesentat Salvatoris nostri miracula, in qua centurio pictoris, Cananaea conjugis et penes eam filii juvenis filii personas praesentant, versus chorum vero extremum judicium ex uno eodemque asserere consistens. Hae quinque tabulae per reverendum dominum patrem Joannem Crampe comparatae sunt pretio 150 imperialium, qui etiam suscitari curavit tabernaculum pro repositone

Exinde laesum ulterius templum costae fenestrarum et fornicis excussae, quarum lapsu stationes presbyterorum ordinariae in choro foedio laesae, luxatae sunt et attritae. Donec tandem (audiat ac suspiciat omnis rationalis creatura) catholicorum in sacra Deo loca ipsasque sacras aedes (generosum pariter ac heroicum facinus, facinus inquam tale, [S. 45] quod referre est horror, horror audire, quod legere erit posteris horror, sed tamen veritas est) diriguntur 5. Octobris ex instituto machinae murales ad evertendam e fastigio templi turrim nostram campanariam, quam quinto postquam tentare coepissent die, id est 9. Octobris, septima praecise matutina, cum globi non sufficerent, mediantibus arborum truncis ac radicibus aqua calida ad maiorem soliditatem elixatis ac in machinas iam allegatas ingestis in coemiterium horribili cum fragore praecipitem egerunt.

Sed nec hic se stitit talium heroum gloria. Excussa namque turri illico ad humilianda duo successive frontispicia, templi scilicet ac principalioris structurae, dispositae

venerabilis sacramenti pretio 80 imperialium. Sextae autem tabulae historiam Trium Regum continentis Ludgerus Ringe auctor est; at pretium minime reperitur. Anno 1663 reformatur statua divae Virginis pretio 41 imperialium. Accessit et corona ex aurichalco cum caelatura auri et argenti ad 15 imperiales. Summum altare a reverendo domino patre Joanne Timmerscheidt inchoatum, cum incuria artificis fornicem transcederet, remotum ac tandem sub reverendo domino patre Wilbrando Weischer circiter anno 1620 erectum est non sine notabili impendio. Anno 1657 per dominum Joannem Holtman sancti Aegidii vicarium maior corona ex fornice suspensa in navi templi 12 brachiorum pro totidem imponendis cereis ex aurichaleo fusilis 180 libr. pretio 60 imperialium cum ferramantis ex caelatura 30 imperialium, quibus addidit adhuc 10 imperiales; donatio scilicet 100 imperialium eiusdem munificentia vinum subministratur Joannis Baptista et assumptionis B. M. virginis. Anno 1659 minor monstrantia comparatur pretio circiter 70 imperialium et quidquid excedit. Anno 1661 corona minor in choro suspensa, utpote aliquanto veterior 5 imperialibus comparata. — Missale melioris formae anno 1664 pretio 40 imperialium conficitur, scilicet pro libro iam compacto 3 imperiales; pro holoserico 3 imp. 10 st. 6 ℥; argentea ornamenta ad 47½ loeth - 21 imp. 10 st., aurifabro pro labore 4 imp. 10 st. 6 ℥, pro registro 2 imp. — In einer weiteren Aufzeichnung (Lade 12 Nr. 11) heißt es u. a.: Magistro Gerardo Groninger pro tabula crucifixionis Domini in honorem defuncti patris (offenbar Rektor Joh. Timmerscheidt † 1615 Nov. 19) erigenda anno 1617 dominica Reminiscere 15 imperiales. Magistro Gerhardo pro basibus alarum altaris 10 imperiales. Vergl. dazu Noch, die Gröninger, S. 89.

sunt machinae bellicae, quibus terribili ausu humiliatis ac deiectis tectum templi quotidianis ictibus adeo diverberatum fuit, ut nisi per armistitium 17. Octobris offerentibus ipsis obsidentibus receptui cecinissent, fornix, organum et quaecunque interioris templi adhuc salva habebantur, oppressa totaliter periissent.

Hac benignitate actum est nobiscum in civitate, sed et foris non minori. Campos enim hortosque nostros evertentes perdiderunt, ostia, portas, seras, repagula, sepimenta et lignea et viridia destruentes ac exscindentes, pecora et segetes conductorum sustulerunt, ut locagia sint nobis denegata. Accedit ad cumulum miseriarum, quod continua exactionibus enerati debitores ad impotentiam solutionis redacti sint.

[S. 46] In tali igitur rerum accisarum discriminé versantibus ac destructorum restaurationem meditantibus nobis requisita deficiebant media. Nam nec princeps saepius, at in vanum interpellatus nec primores turbarum quicquam praestabant nec ullus mortalium spem succurrenti faciebat. Ad praeverendum igitur damna ulteriora, ne aut fornix aut frontispicia ac tecta templi aequa ac aedium reliquarum attrita ac luxata ideoque ruinam praesentissimam minitantia totaliter maiori cum damno conciderent, ad sublevationem nummorum, velut ad sacram anchoram, cum aliud medium non suppeteret, fatali ex necessitate confugiendum nobis fuit praevio capitulo nostri consensu.

Anno ergo eodem nobis pene fatali 1657 17. Decembbris virgo quaedam maturioris aetatis nomine Margaretha Reinhardts mutuos dedit nobis in annuam pensionem pro se et suo nepote ducentos imperiales, de quibus termino Nativitatis Christi solvendi 10 imperiales. De quorum solutione sicut et in defalcationem sortis capitalis solutis revidenda est cum clausulis suis ipsa obligatio in parvo cubiculi mei hypocausto reperienda. Ipsa autem virgo anno 166 .¹⁾ obiit in Domino; sed nepoti eiusdem soluti anno 1672 praesente domino doctore Soens, canonico ad Sanctum Martinum.

¹⁾ Lüdke gelassen.

[S. 47] Anno 1658 dominus Arnoldus Cateman¹⁾ mutuos dedit 100 imperiales, de quibus termino Omnia Sanctorum 5 imperiales. Huius capitalis obligatio est redempta et domino Bomeken solutio facta.

Et ratione imperialium 50 termino divi Martini — 2½ imperiales.

Eodem anno 1658 ex bursa dominorum vicariorum ad S. Ludgerum sublevati sunt — 130 imperiales, desuper termino Brichtii 6½ imperiales, sed anno 1671 restituuntur.

Eodem anno 1658 a domino Bernardo Evers vicario ad S. Ludgerum sublevati — 50 imperiales, termino sancti Brichtii — 2½ imperiales.

Anno 1660 a sororibus duabus Adelheide et Elisabetha Hake sublevati sunt — 100 imperiales, hac conditione, ut quoad vel utraque sororum vel una illarum vixerit, fruantur quotannis 5 imperialibus, post obitum vero utriusque dimidia pars sortis capitalis maneat nostrae domui, pars altera Nitzingensibus exolvatur.

Anno 1660 Nitzingenses etiam numerabant 100 imperiales, sed anno 1665 eisdem sunt redditi.

[S. 48] Haec sublevata per necessitatem restorationis combinata capitalia excurrunt ad septingentos et triginta imperiales, dico — 730 Reichsthaler, de quibus quotannis 36½ Reichsthaler, qui provisioni communitatis quolibet anno subtrahuntur.

Cum autem anno 1665 Nitzingensibus refusi sint centum imperiales, restant a sublevatis sexaginta triginta interesse 31½ Reichsthaler.

Allegatis his capitalibus copta quidem destructorum et domi et foris restauratio et successu annorum circa maxime necessaria progressum, sed non sine adminiculo ordinariorum annuorum proventuum, sed et per accessum ac cohabitationem principis ad ulteriora restauranda progredi non videbatur consultum.

Succurrunt sublevatis donati ab admodum reverendo domino Sixto Henseler 10 Reichsthaler et a grutario civitatis Heerde 3½ Reichsthaler.

¹⁾ Wird auch aufgeführt in dem Gedächtnisbuch des Fraterhauses, in dieser Zeitschrift Bd. 6, S. 121.

Quae autem et quanta in restaurationem impensa sunt, sequentes declarationes designabunt, nisi quod forniciem templi summo altari impendentem infallibilem ruinam minitantem anno 1672 ex supremi periculi necessitate et ferramentis et lignorum adminiculo stabilire compulsi simus.

[S. 49] Exposita post solutam obsidionem per residuum tempus anni 1657 in restaurationem destructorum:

Motis ac sublatis castris ac omni milite ad hyberna destinato applicandae erant gnaviter manus atque omnibus viribus, quoad licuit, incumbendum erat restaurationi.

Pro duodecim millibus laterum, tribus millibus ac quadringentis fictilibus tegulis recepit Raisfeldt in Conerdinck 100 Imperiales

Pro eorumdem transportatione 36 "

Scandulariis pro tali quali reparazione tecti tam ad templum quam ad reliquam structuram 15 Imperiales

Pro coemptsis asseribus ac dissectione

diversarum quercuum	42	Imperiales
---------------------	----	------------

Coementariis	8	"
--------------	---	---

Fabris lignariis	10	"
------------------	----	---

Fabro ferrario	9	"
----------------	---	---

Vitriario	8½	"
-----------	----	---

Pro clavis diversae sortis	6	"
----------------------------	---	---

Vectoribus lignorum	10	"
---------------------	----	---

Hic propter praesentem hyemem cessandum erat		"
--	--	---

Summa lateris facit 244½ Rthlr.

[S. 50] Anno deinde 1658 ad prosequendam reparacionem reverendo patri guardiano Minoritarum pro tegulis in usum templi nostri ex eorum templo submotis ac ad nos translatis 71 Rthlr.

Pro novem plaustris calcis	40	"
----------------------------	----	---

Coementariis	10½	"
--------------	-----	---

Fabro ferrario	9	"
----------------	---	---

Fabris lignariis	10	"
------------------	----	---

Scandulariis	14	"
--------------	----	---

Anno 1659.

Pro duobus plaustris tegularum Surlan-		
dicarum	31	"

Pro sexaginta millibus clavorum minorum in usum omnium structurarum fir- mandis tegulis applicandorum	40	Rthlr.
Scandulariis pro continuatione laborum . .	19	"
Fabris lignariis forensibus per restaurationem tectorum et templi et totius structurae	35½	"
Per concisionem diversarum quercuum . . .	31	"
Summa lateris	311	Rthlr.

[S. 41] Eodem anno 1659 per resuscitationem frontis-
picii ad principalem structuram aliisque currentis anni
laboribus

Coementariis	37½	Rthlr.
Pro tribus plaustris tegularum Surlandi- carum	48	"
Scriniario pro laboribus ac subministratis quibusdam lignis	9½	"
Vitriario	11½	"
Pro clavis diversae sortis in restaurationem necessariis	18½	"
Scandulariis intraneis pro laboribus et stramine	5¼	"
Fabro ferrario	32½	"
Vectoribus lignorum, lapidum, arenae et quibusdam aliis operariis	7	"
Summa lateris	169¾	Rthlr.

[S. 52] Promota est ulterius restauratio Anno 1660.

Pro plumbo et cupro ad contegendum templum	14½	Rthlr.
Scriniario restauranti necessaria in templo	6¾	"
Coementariis pro laboribus ac subministra- tis sectis lapidibus	12	"
Scandulariis	15	"
Fabris lignariis	12	"
Pro clavis maioribus diversae sortis . . .	6½	"
Fabro ferrario	10	"
Vectoribus diversorum hinc inde lignorum	5½	"
Summa lateris	82½	"

Excurrunt ergo exposita haec omnia ad . . . 807 $\frac{1}{2}$ Rthlr.
 Quibus si subtrahuntur percepti in universum 743 $\frac{1}{2}$ „

Resultant pro exponente, ut patet 64 Rthlr.

[S. 53] Nec tamen inter haec percepta aut potius sublevata ac exposita computantur omnes illae enormes expensae quotidianae, quae a sustentatione plurium personarum magno communitatis damno ac impendio per memoratum quadriennium, toto scilicet restaurationis tempore factae sunt, dum scilicet primum rudera destructorum amovenda, utpote excussi lateres, secti ac politi lapides, ligna luxata ac confracta eaque omnia, quae ex tectis, tabulatis, frontispiciis et templi et reliquarum aedium copioso numero ac cumulo erant deiecta. Accedit et coementariorum, fabrorum lignariorum, scriniariorum, vitriariorum, scandalariorum aliorumque operariorum ac vectorum ab esculentis ac poculentis sustentatio, quae ducentis imperialibus minime compensatur, dum plures boves ac porci praeter ordinem mactati ac saepius solito braxatum. Sed nec his impendiis tertia pars destructorum suo restituta est nitori; ulterioribus quoque supersedere metus impendentium maiorum malorum, ut eventus docuit, et praemonuit et permovit, nisi enim et periculum maioris damni et necessitas fratres accommodandi ursissent, praestitisset [S. 54] temperatus aliquanto cum restauratione esse maturatum, cui cum iam in quartum annum sedulo incumberemus, novus resuscitatur ac gliscit turbo turbae novae. Subduxerant se iam primarii cathedralis ecclesiae praelati cum secretioribus suis ipsoque archivio anno 1659, subsequentibus eosdem pone aliis canonicis aut ordinarie residentibus Monasterii aut adventitiis. Accedebat interim, haerebat ad tempus, excurrebat ac regrediebatur, glidente interim turbine, illustrissimus princeps, quoad tandem occasione capta sub specie venationis iterato migraret, maiora contra civitatem molitus. Evocato namque successive milite suo omnibusque a servitio et aula dependentibus evocabantur quoque consistoriales et ecclesiastici et aulici, judiciorum gogravii cum suis ac omnibus pene capitulo cathedrali ex functione obligatis, exceptis paucis, qui supervenientibus opinione citius potioribus malis omnium gestorum et domi et foris aut spectatores remanserunt aut auditores.

[S. 55] Annus jam currebat septimus a prima tentatione subigendae per militare stratagema urbis, de quo supra pag. 37, a quo spemque netumque inter viventes, incolae universi, quae omnipotens Deus per immissam contagiosam luem quaeque princeps successive et per obsidionem et per immissos ac admissos per contractum milites iniecerant imposuerantque, adversa patienter sustinebant cives, eiusdem autem patientiae minime illi, qui maiora adversum illos coquebant ac meditabantur mala.

Remanebat ac torquebat indisciplinatorum quorumdam turbatique cerebri animos indigesta pariter ac amara dero-gatae auctoritatis recordatio, quae ob solutam ex duplice necessitate obsidionem proveniens rancorem fovebat ac ruminabat indignationis atrocissimae: et a desperata civitatis subigendae potentia et a timore per foederatos Belgii ordines submittendi ac impendentis subsidii. Ex his recenditus inflicti vulneris dolor in tumorem excrescebat exitialis, quoad omne contractum virus suo evomeretur tempore, [S. 56] et latitans sub cinere doloso ignis, in publicum prorumperet et particulare et generale omnibus bonis patriotis funestum incendum.

Inter hasce flamas hinc inde se versans reverendissimus dominus cathedralis ecclesiae decanus Mallincrothius de subterfugio sollicitus recepit se Coloniam, ubi quidem ad tempus aliquod haesit causamque suam quoad per media ac vires licuit, gnaviter urgens nihil profecit. Absumptis igitur, quae in promptu erant, aereque alieno ibidem contracto per modum desperati hominis se stitit ad portas civitatis Monasteriensis [1667], sed metu principis; cum peteret admissionem, receptus non est. Interceptus ergo ad s. Mauritium [ipso die Jacobi 25. Junii (!)] abducitur primo in Ahaus, deinde in castrum Ottenstein, ubi aliquot annis detentus tandem misere periit, vir a scientia et auctoritate eminentissimus¹⁾, de cuius recusata admissione bene se apud principem meritos imaginabantur sibi cives, at alia eiusdem ex causis supra allegatis agitabantur suppressandae civitatis consilia.

¹⁾ Das in [...] stehende von der zweiten Hand eingeschoben; desgleichen: 1667 ipso die Laurentii intercipitur syndicus L. Drachter. — Über ihn vergleiche Tüding in dieser Zeitschrift 24 S. 203 ff.

Anno igitur 1660 tempore vernis celebranda decernuntur comitia Coesfeldiae; evocantur quoque eodem Monasterienses; deputati ergo [S. 57] eodem excurrentes se sistunt loco et ecce contra ius gentium arrestantur¹⁾. Deinde a 22. Maii cives foris sua tractantes, boves mulgidae, equi ac promiscue, quaecumque reperiuntur civium, ac tandem etiam quorumcunque civitatem incolentium pecora indifferenter intercipiuntur a militibus principis et in modum praedae distrahitur, usque dum collectis omnibus ab equitatu ac peditatu viribus circiter medium Julii comeatus ad civitatem diripitur ac circumvallatio inchoatur. Qua iam coepta non solum fit continua abductio pecorum, sed et segetum, quibus tanta saevitia inhiabant forenses, ut cives easdem illis praerupturi cum praesentissimo vitae periculo se prostituerint, quibusdam etiam trajectis ac mortuis, quaeque in tutum subducere non poterant, milites sibi vendicabant aut si id minime succederet, accensas exurerent, absurdissima in sanguine innocentum statuentes trophaea.

Interea cives inopinato attoniti eventu atque ab omnibus desolati, quam ordirentur telam suspensi, de sui suorumque defensione circumspicientes equitatum [S. 58] colligunt, peditatus numerum augent, quorum dexteritate velitationes diversae cum forensibus, maxime per equitatum, saepius felicius habitae concurrente vel maxime civium generositate, quippe qui continuo armorum usu a paucis retro annis exercitati rem suam strenue egerunt, ut jugum servitutis sibi suoque sanguini ac focis imponendum averterent, quod tamen continuata per totam hyemem circumvallatione in Martio subsequentis anni 1661 subire compulsi sunt.

Licet enim foederati Belgae implorati suos delegaverint 1660 ad principem ac civitatem deputatos, nihil tamen aut effecerunt aut profecerunt. Postquam ergo aliquot diebus in castris principis fuissent detenti, dimissi sunt ad civitatem 27. Julii²⁾, ipso scilicet divi Christophori, ac plausibiliter excepti omnium tragoediarum curiosi

¹⁾ Der Landtag fand statt in Coesfeld 19. Mai 1660; von Alpen I S. 478; S. 479 die Wegführung des Biehes erwähnt am 22. Mai.

²⁾ bei von Alpen I S. 494 ff.

spectatores usque ad 18. Septembbris, quo magna succurrenti spe facta dimittuntur. At in vanum omnia. Ipsi namque praesentibus nihil hostilitatis a forensibus intermissum 11. Septembbris molendinum volatile ad portam S. Ludgeri, frumentis copiose oneratum [S. 59] et 18. Octobris aliud ad portam D. Servatii exuruntur et reliqua in tantum deformata, ut eorum usus minime esse potuerit.

Dimissis ergo deputatis illis ad sua, in tertiam hebdomadam occlusae habentur civitatis portae, quibus tandem per vices reseratis non secus ac Virgilius de dato ventis pro volandi loco: una Eurusque Nothusque ruunt creberque pro cellis Africus etc.¹⁾ hocce modo, qui se loco movere poterant incolae civitatis utriusque sexus, nixi equitum ac peditum praesidio confertim excurrebant ad hortos, agros, vici niores etiam aedes, diripientes, quicquid sors offerebat, in sui suorumque sustentationem, non aliter quam si rapto vivendum esset ac alienum alieno ex fundo furtim, sic quilibet proprium suum suo ex fundo raptim tollere necessitabatur.

Quod autem fatale fuit civitati, per hos excursus diversi proditores elabebantur, et designatis, ut conventum inter partes erat, locis litteras conditionem civium declarantes ad hostes destinabant, ex quibus vicissim alias recipiebant; quod si fuisset praepeditum, civitas extra omne periculum evassisset.

[S. 60] Haec erat conditio civitatis Monasteriensis a circumvallationis principio usque ad Martium, quo liberatum et actum est de necessitate ditionis.

Desperata namque subsidi submissione ac deficien tibus successive mediis sustentandae vitae, quidnam agendum suspensi cives, aut atram subire famem aut extrema pati, cum enim generose obsidioni se exemissent, nil ulterioris superesse periculi prae sumebant, multo minus de circumvallatione cogitantes, hinc de percu (!) farcienda minus solliciti, penuriae incurrerunt dispendium et quod hoc aggravabat malum, quasi ad suppressoram civitatem quidam civium vicinorum conspirassent, immediate enim ad impendentem circumvallationem, petuntur ac dimittuntur copioso numero onerati currus oleo, caseis, asello

¹⁾ Virgil. Aeneis I 85 ff.

et huius generis mercibus ad alias civitates, plura huiusmodi ex Belgio submittenda (de impendente impedimento minimum cogitando) infallibiliter seu cogitando seu sperando, sed circumvallatione praeventis alia a militibus intercepta, alia non submissa, quo modo dispendium hoc incurrit et passa est civitas.

Anno igitur eidem fatali 1661 ipso Circumcisionis festo dimittuntur ad principem Coesfeldiam reverendus pater Helm observantum [§. 61] provincialis cum pastore ad S. Lambertum domino Joanne Wichartz, si quo modo aequis conditionibus cum principe transigendi spes esset tentatur¹⁾), sed 5. Januarii re infecta regressi. 13. eiusdem denuo solus Lambertinus eodem excurrit, sed et reiectus 15. regreditur.

Interea fluvius Alpha superioribus ad affluentem locis e regione aedium coloni Kumpman²⁾) aggere excitato intercipitur, quominus ad civitatem defluat, alio canali ac torrente deducto primum ad famosos capituli cathedralis carceres, condictos De Helle, exinde in torrentem Sonnenborn ac tandem in fluvium Wersam derivatur, intentione impediendi usum molendinorum aquatilium in ipsa civitate. Frequentia autem pluviae competentem eorumdem usum subministravit, praeterquam quod per totam civitatem sufficientia pro re nata ac ex necessitate suscitarentur molendina . Similis aggeris excitatio facta est inferioribus locis, ad defluentem Alpham e regione castri Ebbinckhoff, ad sustinendam aquam, ut reciprocando civibus officeret ac molendinorum motum per refluentis abundantiam sisteret. Hic autem agger nimio aquarum pondere aggravatus circa medium Martii dissolvitur, quo resuscitato rumor paciscionis insonuit, caeteroquin et ipsus infallibiliter periiset.

[§. 62] Tandem circiter finem Martii anni salutis 1661 conformi civium consensu in ditionem conclusio facta. 26. Martii ergo dimittuntur deputati ad principem, 28. pacis-

¹⁾ Diese Gesandtschaft erwähnt bei Alpen I §. 512 ff.

²⁾ Alpen I §. 488 spricht von Compmanni villa.

³⁾ Vergl. den Plan der Belagerung von Münster 1660 bei Tüding, Geschichte des Stifts Münster unter Christoph Bernard v. Galen. — Über die Höllenburg, an welche das Kolonat Helle noch erinnert, vergl. A. Wormstall in dieser Zeitschrift, Bd. 54 §. 206 ff.; Longinus, Führer durch das Münsterland I² §. 117. Vergl. Westkamp in Bau- und Kunstdenkämler, Kreis Münster-Land §. 99.

catio renunciatur et 29. ratificatio, quam 30. Martii subsequitur admissio militum illustrissimi principis nostri, quorum numerum quidam volunt excedere quatuor millia¹⁾, qui dispersi per campum dominicum, per forum sub arcu, per publicas opificum aedes, per valla, portas etc. haerebant usque ad 12. Aprilis, quo equites et 13. Aprilis pedites per civium domos sunt distributi. Quidam autem volunt, quod ad primum militum ingressum, 30. scilicet Martii computatis militibus, foeminis ac parvulis aggravata sit civitas extraneis hominibus ad millia octodecim, grave iugum servitutis, quod inductum est civibus. Aggravatum est hoc ipsum per suscitationem propugnaculi ad portam divae Virginis, extra quam usque ad portam Iudefeldanam omnia late circumquaque viridia hortorum ac camporum excinduntur circiter principium Maii sepimenta ad excitandam Cittadellam, latibulum scilicet militum ad continendum in obedientia cives ingenti religiosorum, ecclesiasticorum, nobilium, ignobilium ac [S. 63] civium damno, quibus fundi haereditarii violenter tolluntur.²⁾ Quod etiam nobis vertitur in notabile damnum, sublatis ac eversis quadraginta circiter hortis, qui praeclaris omnes erant amicti sepimentis, quorum quidam in annum locagium praestabant propter amplitudinem tres imperiales et quolibet quarto anno in arrham dimidium locagii. Sublatus quoque nobis est eisdem proximus et quidem omnium nostrorum optimus campus a capacitate et fertilitate fundi in pastum septem mulgidarum boum plus quam sufficiens. Boves iam erant in pascuis et eiiciuntur, horti quoque conseminati ac stercorati evertuntur, principe incolente arcem Wilkinkheg, excurrens subinde ac inspiciens, quid expediant fundorum ad civitatem eversores.

Hic ipsus 28. Maii accessit ad nos ac totam domum nostram lustravit, cuius dispositio eidem adeo complacuit, ut subsequentibus diebus sollicitaverit admissionem ac cohabitationem, quam tandem minis extorsit, ut subsequi-

¹⁾ nach Alpen I S. 524 waren es 2000 Fußtruppen und 200 Reiter.

²⁾ Über den Bau der Zitadelle, die dabei benutzten Gärten usw. siehe Geisberg, Ansichten und Pläne der Stadt Münster S. 76 ff. Über den Besuch des Fraterhauses am 28. Mai 1661 nichts bei von Alpen.

tur fusius.¹⁾ Primum per equestris ac militaris ordinis aulae praefectum (Alexandrum) Vrede hisce verbis: Nolentibus volentibus vobis vult et debet vobis cohabitare princeps, idque praesente domino Melchiore Hovesche [§. 64] sacellano aulae primario. Convocatis igitur capitularibus simul cum laicis nostris hanc proposui comminationem, de consilio suspensi quid ageremus, p[re]a metu ac reverentia principi deferendum fuit, et reiectis nobis omnibus ad deteriora loca, potiora pro se ac aulicis suis designavit, utpote domum capitularem ac ordinarium refectorium in quotidianum ordinariam mensam, calefactorium nostrum pro suo auditorio, culinam nostram pro fovendo foco, lotorium vel ubi utensilia quotidiana mundantur, in divergium recreationis ac speculae per totum hortum; pistrinam ac braxatoriam domum in culinam. Cubicula confratrum superiora, quae incumbunt dictis domui capitulari, refectorio et calefactorio, utraque ex parte occupant aulici. Ipsus vero illustrissimus supradictam nostram culinam locum quietis excitavit; cubicula in ambitu versus plateam pro hospitibus maioris auctoritatis ac confratribus forensibus ad divertendum destinata in cancellariam commutantur et pars bibliothecae in registraturam et secretiora; et haec omnia disposita sunt per [§. 65] principem ipsum hac occasione.

Cum observarent operarii, qui iam erant in labore ad disponendum omnia secundum principis intentionem, quosdam nostrum (!) confratrum male habere, quod tanta fieret ac ampla nimis immutatio, cum quadam obmurmuratione ac oblocutione, destinatus est ad me 20. Octobris consiliarius eiusdem dominus Schleswich his oneratus querelis, praecedenti, scilicet die 19. Octobris operarios coram principe querulose deposuisse, unum aut alterum ex nostris multa ipsis ingessisse ac impedimento esse, quominus suos labores ex commissione prosequi possent; principem ergo in haec verba ipsi Schleswigio locutum: „*Vade et dic illis,*

¹⁾ Am Rande nachgetragen: Sicut et pridie divae Ursulae (20. October) iterato consiliarius principis Philippus Schleswich me hac comminatione nomine principis alloquitur: „Jussus sum denunciare, si recusaveritis eum benevole recipere, cum eorum disgratia ut episcopus et princeps accedam et tollam ad mea servitia, quicquid ubet“.

*se me erga gratitudinem suscipere nolint, ego ut princeps ac episcopus citra ipsorum gratiam recipiam ad me (pro cohabitatione scilicet), quantum mihi placuerit*¹⁾. Ecce comminationem alteram et gravem ac periculosam satis. Quantum igitur potui, pacatis ipsum hominem et per eundem illustrissimum delinivi verbis. Altero igitur die, 21. scilicet Octobris, in quem incidit festum S. Ursulae, digressus ad nos princeps lectoque in nostro templo sacro omnia exploravit et designavit, ut supra declaratum est. Cum tamen prius, 10. nempe Julii, pontificali amictu, universo civitatis et regulari et saeculari clero praesente, civibus palliatis binis ac binis comitantibus per [S. 66] conductionem sanctorum reliquiarum divisorum Pauli, Ludgeri, Josephi, Swiberti et Maximi civitatem sollemniter ingressus est¹⁾), cui sollemnitati collegium nostrum pari cum reliquis collegiis forma ac modo auctoritate illustrissimi numero decem personarum et omnes cum pluvialibus iuniore stipitem preeferente interfuit; iussique altero die, in quem incidebat solemnis ac ordinaria annua per totam urbem processio, cum vexillis comparere, quod etiam factum, nostraque vexilla cum reliquorum collegiorum vexillis ad chorum admissa sunt, quae omnia deinceps etiam continuata ac servata.

Princeps vero episcopalem declinans aulam ad vicinorem alteram templo divi Michaelis²⁾ divertit, ubi ad tempus haesit, donec excursu in Embslandiam facto regressus anno 1661 10. Decembris ad nos deflexit; quo autem commodo nostro, probae mentis capaces dijudicent.

Exinde curavit everti ac tolli muros civitatis incipiendo e regione circiter horti nostri, ubi est aquaeductus subterraneus, usque ad portam Judefeldanam. Eversa etiam totaliter egregia divae Virginis [S. 67] porta ac con-

1) Diesen feierlichen Einzug beschreibt ausführlich Alpen I S. 534 ff.; ebd. S. 548 über die Prozession am 11. Juli. Nach der oben S. 347 Anmerkung erwähnten Aufzeichnung erhielten bei dieser Gelegenheit die Fraterherren prima vice et similes aliis canoniciis praesentias und erjchien hier zum ersten Male cum vexillis et stipte. Pro stipte eiusque caelatura datus est 1 imperialis; vexilla autem duo solemniora cum S. S. Trinitate et Fonte Jacob anno 1662 pretio 32 imperialium comparata. Cruces cum stiptibus anno 1664 pretio 8 imperialium, at caelatura 6 imperialium, facit 14 imperiales.

2) Bischöfliche Kanzlei an der Stelle des heutigen Regierunggebäudes.

sequenter valla ipsa complanata, oppletis fossis, quod primo tentatum est e regione habitationis nostrae, ubi in ambulatorium principis excitatus est hortus.

Interea controversiae oriuntur ac gliscunt inter principem nostrum ac foederatos Belgas de dominio Borkeloh et executione contra comitem Frisiae orientalis, quorum protectionem in se recipiebant Belgae. Expeditione ergo ac nomine principis nostri in territorio Frisiae intercipitur munimentum condictum Dieler Schantz¹⁾, sed nostri violenter ejiciuntur. Qua irritatus iniuria princeps noster de talione cogitans remotioribus Germaniae locis militem clanculum conserbit iusti exercitus egregium, cuius facti rumor defertur ad Batavos. Inquirunt, at nil certi explorare possunt. Dexteritate enim nostrorum illusi nihil minus, Anglico iam impliciti bello, quam de militia nostra solliciti; triginta millibus militum, et quod excurrit, Transisulana loca occupantur (1665) magna Batavorum cum trepidatione, magnae aguntur praedae. At incumbentibus imbribus inclemencia hyemis pene absque gelu [et] inundantia aquarum per reserationem cataractarum a Batavis excitata eiecerunt nostros, qui anno 1666 patriae ac civitati [S. 68] Monasterensi tantam intulerunt luem, ut in sola parochia divae Virginis ultra mille homines periisse spargatur. In hyberna namque distributi ac lue infecti milites alios quoque infecerunt. Dicuntur autem novem millia equorum extra ordinem in dioecesi hac hybernasse, ut anno 1666 essent in campum equites deducendi promtiores; at interveniente electore Brandenburgico lis inter partes composita.

Ducebatur quoque agger seu vallum a porta divi Aegidii incipiendo per hortos proxime civitati adiacentes ac prata ad obstruendum ordinarium meatum Alphae, ut altius aqua possit distineri, versus portam divae Virginis, ubi e regione templi nostri novum eminenti impendio ex fundamento suscitatur aquatile molendinum, cuius possit esse usus tempore necessitatis seu obsidionis. Hic ipsus agger Alphae obiectus enormis latitudinis ac altitudinis, ad quarum amplificationem aliquot continuis annis

¹⁾ Die Einnahme der Dieler Schanze fand statt in der Nacht vom 8. zum 9. Dez. 1663; Alpen I S. 604.

rusticorum labores ac vecturae cum hortorum ante portam divi Aegidii humiliatione impenduntur, et Citadellae fortificationes plures excitando amplificantur ac exten-duntur.

[S. 69] Anno 1669 fossae civitatis a porta Judefeldana versus portam Aegydiannam per humiliationem antiquiorum vallorum, sublatis iam antea muris, in planam superficiem adaequantur, ex cuius parte pomerium excitatur et hortus.

Anno 1670 gliscunt turbae Huxarienses, quarum occa-sione occupatur a ducibus civitas Braunswicensis 1671.¹⁾

Anno 1671 septimo Maii, in quem incidebat Ascensio Domini, vespertina nona funestum excitatur incendium, quod altero mane circiter tertiam conflagratione quadri-gentiarum et quinque principalium aedium exceptis horreis et domibus agriculturae ac peccoribus destinatis sopitum est.²⁾

Anno 1672 Gallo Batavos infestante ac eodem cursu ad stuporem omnium intelligentiorum deditio-ne occupante civitates Orsoy, Rhoenberckam, Wesaliam, Burichium, Embricam, Reisam, Doesburg, Sutphaniam, fortalitium Schenckianum, Ultraiectum, sed maiori labore ac impedio Neomagum. Et noster princeps Grollam, Bredefortium, eodem sole Daventiam, Campos, Swollas, Hasselt, Elborg, Harderwyck, Hatten etc. cum considerabili fortalito Covordiano totaque Twentia ac Drentia, sed victoriae remora injecta in oppugnatione civitatis Groningensis.³⁾

¹⁾ Tüding a. a. D. S. 162 ff.

²⁾ Über dieselbe Feuersbrunst kurze Notiz in Corseys Chronik, Münst. Geschichtsquellen Bd. III S. 263; ausführlich in dem Memoriienbuch des Klosters Rosenthal ebd. Anmerkung 1.

³⁾ Tüding S. 181 ff.